

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 75

Quicumque de rebus sancte Dei ecclesie aliquid in usus proprios per concambium adquirere voluerit, oportet ut per cartarum firmatatem id omnimodis roboretur, quatinus per succendentia valeat tempora manere inconvulsum. Qua propter noverit cetus sancte Dei ecclesie fidelium qualiter convenit inter abbatem Werinfridum Stabulensis monasterii et Robertum nobilem virum, ut quandam inter se commutationem facerent. Quod ita fecerunt. Dedit itaque predictus Robertus de terra propria ad altare sancti Petri et sancti Remacli in Stabulau, consentiente prefato abbate cum ceteris fratribus, presente advocate Erenfrido, coram testibus idoneis, id est in pago Condustrio in villa Stratella mansus IIII, bonuaria II et silvam, et in villa Tilmou mansus VI et omnia supraposita jure perpetualiter possidenda. Denique in commutatione earundem rerum accepit a predicto abbate de rebus monasterii prefatus Robertus [in] presentia eorundem testium, id est in pago Hasbannio villam Grimides super fluvium Galia in qua sunt mansus VIII cum ecclesia, et omnia superposita in usus proprios et posterorum suorum perpetualiter cedenda. Ea ratione, ut utraque commutatio sicut tradita est atque firmata, ita ut ab utrisque partibus sine ullius contradictione firmiter possideatur. Et ut hec rectius perseveretur, hanc fieri cartulam decretum atque bonorum testium manibus robورata est, quorum nomina subter habentur inserta. Actum in monasterio Stablaу publice sub die XIII kal. julii, regnante glorioso rege Ottone anno XX cum duce Brunone et archiepiscopo. Signum Werinfridi abbatis. S. Erenfridi advocati. S. Roberti + qui hoc concambium fecit. S. Euerardi, Rainardi, Werenfridi, Werimundi, Odonis, Erchenradi, Norberti, Willerici, Hildradi, Tatilonis, Harieri. Ego Ebroinus jubente domno abbatе Werinfrido scripsi.